HIERONYMUS

Admont, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 10r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25885
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uidetur habere. auferetur ab eo.
Et tu fili hominis, sume tibi laterem, et pones eum
coram te, et describes in eo ciuitatem Ierusalem. Et
ordinabis aduersus eam obsidionem, et edifica
bis munitiones, et comportabis aggerem, et da
bis contra eam castra, et pones arietes in gyro.
Sicut prius diximus, intra et includere in medio
domus tue, et ecce data sunt super te uincula, et
ligabunt te, et non egredieris. typum esse prophetam
future obsidionis urbis Ierusalem. ita non geo
metrica arte iubetur in latere describere.
ipsumque laterem poni in conspectu prophete. ut
per quam descripserit in puluere Ierusalem. omnem
aduersus eam pingat obsidionem. adumbrans
munitiones. et comportans aggeres. et coro
nam uallantis exercitus. et arietes in circuitu.
per que omnia urbes capi solent. Munitiones
diruuntur quibus urbs clauditur. ne quis obses
sorum possit effugere. comportantur aggeres.
quibus uallum fosseque complentur. castra mili
tum custodie per circuitum. arietes quibus murorum
fundamenta quatiuntur. et lapidum iunctura
dissoluitur. Hoc autem dicitur. ut significetur ur
bis Ierusalem sub sedechia rege uicina captiui
tas. cuius anno xi.mo et rex et ciuitas capta est.
Pro latere. qui grece dicitur genere feminino.
ΕΗΛΥΗΤωC. symmachus manifestius interpre
tatus est ΕΛΥΗωΥωΗ. quem nos laterculum.
et abacum appellare possumus. in quo pulue
re solent geometre GRAMAS. i. lineas radio
describere. ex quo quidam uolunt non absurdum
esse. et huius doctrine habere scientiam. illa
exempla replicantes. quod et Iosue filius naue ex
ploratores miserit. qui terram describerent
quod proprie uocatur geometria. et angelus in zacha
ria habuerit funiculum geometricum. ad
Ierusalem metiendam. et quod nunc iubetur propheta.
Ierusalem in puluere describere. que apud eos
proprie appelletur SKYHWGRA. Possumus laterem
et in suggillatione israhelis accipere. quod in luto
et latere seruierit. siue ut urbs que putabatur
firmam et inexpugnabilem fragilissimo lateri
compararetur. qui ad tactum aque ilico sol
uitur. ut de qua prius dictum est. numquam peteretur
durissima. uel deserti est mons filie syon.
uertatur in laterem. qui inundatione baby
lonica corrumpatur. iuxta illud quod scriptum est.
Propterea adducet dominus super uos aquas mul
tas et fortes. regem assyriorum.
Et tu sume tibi sartaginem ferream. et pones
eam murum ferreum. inter te et inter ciuita
tem. et obfirmabis faciem tuam ad eam. et erit
in obsidione. et circumdabis eam. Signum est
domui israhel. Quod supra diximus. et ipsum prophetam.
et descriptione lateris. munitionibus. aggere.
arietibusque circumdatum. in signum precedere obsi
dende Ierusalem. hoc nunc manifestius dicitur.
post multa que media sunt signum esse domui
israhel. Sartago ferrea que instar muri inter
prophetam et urbem ponitur. grandem iram demon
strat dei. que nullis precibus fatigetur. nec flec
tatur ad misericordiam. Sicut enim omnia metalla
ferrum domat. nichilque eo durius est. sic incre
dibilia scelera Ierusalem. dominum natura mollem.
suo uitio fecerunt esse durissimum. Sarta
go quoque dicitur medius inter prophetam et dominum murus
oppositus. ut ostendat omnem multitudi
nem in breui esse frigendam. redigendamque
ad nichilum. Obfirmatio autem uultus contra
urbem. seueritatis indicium est. iuxta illud
quod alibi scriptum legimus. Facies domini super faci
entes mala. ut disperdat de terra memo
riam eorum.
Et tu dormies super latus tuum sinistrum. et
pones iniquitates domus israhel super eum. nu
mero dierum quibus dormies super illud. et
assumes iniquitatem eorum. Ego autem dedi tibi
annos iniquitatis eorum. numero dierum.
trecentos et nonaginta dies. et portabis in
iquitatem domus israhel. Et cum compleueris
hec. dormies super latus tuum dextrum secundo.
et assumes iniquitatem domus iuda. xl. diebus.